

literarum pro notario & sigillifero non ultra octo stuferos recipi permittant.

Cap. VII. Tempus clausum a Concilio Tridentino restrictum est, proinde diligentius observetur: si tamen ex legitima & urgente causa aliqui per Episcopum ad matrimonium illo tempore contrahendum admittantur, abstinere a solemnitate nuptialis convivii, a choreis, & similibus insolentis, que tempore non congruunt, sub pena viginti florenorum Remensium ad pium usum applicandorum.

2. Tit. de Officiis & cultu divino, Cap. VI. Illos quoque qui sub dictis Officiis Divinis aut celebrant aut ad celebrandum se preparant, vult hec Synodus pro eo tempore presentes in divinis reputari, modo tamen, absolute Sacrificio, sine notabili mora in chorum redeant.

Videtur hoc decretum adversari juri communi, nisi intelligatur de Ecclesiis, in quibus tempora Missarum a singulis de choro celebrandarum distributa in aliqua communi tabula fuerit, ne scilicet horis Officiorum, Missæ omnino vel altaria vacent. Intelligi quoque debet, si accidat ob justam aliquam occurrentem causam, ut is, qui choro præest, dimittat aliquem de choro ad celebrandum sacrificium, tunc enim justa causa subest. Aliter autem contingeret, ut singuli de choro immunitatem ab Officiis chori pro suo libito sub prætextu propriæ Missæ confestarentur, & chorus desereretur. In primis sane sacri canones in commune statuunt, eum qui abest ab officiis chori, non debere lucrari distributiones, que sunt stipendia chori: solis exceptis, quos iusta & rationabilis corporis infirmitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excuset; & contrarias consuetudines ac statuta reprobant, eosque, qui secus receperint, restitutione obnoxios declarant: cap. unico de Cler. non resid. in 6. Sed & Honorius Papa III. in cap. licet, de præb. significaverat eos, qui Superiorum permisso absunt ad studendum Theologiæ, fructus quidem percipere præbendarum suarum, sed non distributiones chori, quia hæc solis debentur choro assistentibus. Concilium Trident. sess. 24. de reform. cap. 12. constitutionem Bonifacii d. tit. de Cler. non resid. instaurat, ac in usum reducit. Denique Concilium Mediolanense quartum sub sancto Carolo, tit. de distributione. Sanctionem hanc Mechliniensis non oppositam his verbis edidit: *Quicumque dum alicuius stata hora officium in choro peragitur, Missam celebrando tunc a choro abfuerit, illius hora distributionis tamquam absens particeps ne sit, ut a sancta Sede Apostolica declaratum est. Id vero nisi præ absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ sacrificium faciunt, necessitas aliquando incidit, ut Praefectus canonicum aliquem Sacerdotem e choro exire, a stataque hora Officio abesse Missæ celebrande causa jubeat, aut nisi a Sede Apostolica aliter concessum fuerit.* Allegantur insuper sacra Cardinalium congregationis conformia his decreta, necnon doctorum cetera similiter decidentium. Videri potest Bonacina disput. 4. de sacram. Eucharist. qu. ult. punct. 7. §. 5. Idemque tract. de iis, que ad divin. Officium in choro recitant. fac. disput. 2. qu. §. 4. Uterius queritur ibid. §. 5. utrum Canonicus penitentiarium percipere possit distributiones, dum in confessionibus excipiendis tempore Divinorum Officiorum detinetur, Concilium Trident. sess. 24. cap. 8. omnem amovet difficultatem his verbis: *In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, penitentiarium aliquis cum unione præbende vacaturæ ab Episcopo instituat, qui magister sit, vel Doctor, aut Licentiatum in Theologia, vel iure Canonico, & annorum quadraginta, seu alias qui aprior pro loci qualitate reperitur: qui dum confessiones in Ecclesia audiet, interim presens in choro censetur.* Verba hæc, *In Ecclesia*, supponunt, quod si extra Ecclesiam confessiones audiet, non lucraretur distributiones.

Ibid. Cap. X. Cohibentur Episcopi cantores, organistas, & campanarios, & alios quoscunque a lasciva, militari, & quavis indecora musica in cantu, organo, & campanis sub penam decem stuferosum ad pios usus arbitrio Episcoporum applicanda. Et si semel puniti non abstinuerint, penam carceris ac alia arbitraria plestantur. Deambulationes quoque ac profana colloquia impediant, ac delinquentes tempore divini Officii penam trium stuferosum, & extra tempus divini Officii, duorum incurrant ipso facto: quam penam Episcopi exequi curent.

Cap. II. Requirantur quoque locorum Magistratus, ut in omnibus parochiis edito publico mandato tempore, quo divinum Officium peragitur, aut Verbum Dei predicatur, tabernas non nisi pro viatoribus aperiri; neque aliquod genus ludi publice vel privatim institui: & omnino abstinere a tripudiis & aliis insolentis, quibus parochiani a veneratione divini Officii, & Verbi divini auditione distrabi possent, sub penis arbitrio eorum imponendis. Ipsi quoque Episcopi per suas dioceses in singulis parochiis, sub

certis penis, suis nominibus similem inhibitionem fieri procurent.

De choreis & tripudiis sacris diebus abrogandis, consulto a me superius congesta ad congregationem XIII. Concil. Remensis anni 1564. De Magistratum vero cura & officio claudendi tabernas, ludos publicos, aleamque & spectacula cohibendi temporibus divini Officii & sacra concionis, revivis superius can. 52. Concilii Moguntini, 1529. unaque additum scholium ibi adjunctum.

3. Ex tit. de Decanis Cap. XI. Pastoribus & quibuscunque Sacerdotibus inhiere sancta Synodus sub pena suspensionis, ne per se vel per alium, directe & indirecte stipulentur promissis votivis ad pium postulationem celebrandis: sed quod eis sponte oblatum fuerit, accipiant. Caveant quoque, ne stipendium plurimum Missarum simul venentur; sed qui ratione beneficii, aut alterius fundationis ad Missam certo die celebrandam obligantur, ab aliis eodem tempore abstineant, nisi subsistente causa, & per alium sibi incumbens onus adimpleant: qui contra fecerint, severiter puniantur.

Optandum sane fuisset, ut hujus Synodi Patres inivissent aliam quandam viam & rationem expediendi simul ab importabili Missarum onere brevi superventuro Sacerdotes, simulque ab indecoris conventionibus & fordibus elemosynarum pro Missa stipulationibus, quibus recufatur petenti expetita Missa, nisi largiorem præbeat pro Missa elemosynam. Quam fordicem ut excludat Synodus, vult absque ulla concertatione acceptari omne oblatum, etiam si teruncium non excedat. At vero hæc facilitate acceptando quodvis oblatum, certissime adveniet immensum Missarum onus, cui satisfieri nullatenus poterit; acceptatione namque oblato, vel fraudatur tunc temporis ejus, qui offert, intentio, credentis bona fide sibi Missam integram applicatum iri: cum inter tantum sub conditione, & alterum qui acceptat nec intendit conditionem implere, intervenit stipulatio, in qua debet bona fides inesse; nec tamen inest ex parte accipientis nisi fraus & mera deceptio, rem promissam non adimplendo. Et aliunde, nihil quantumvis exilè recusando, brevi exurget impossibilitas infallibilis tot Missarum onera adimplendi. Simplexque paupercola, que Sacerdotis probitati confidit ab eodem Sacerdote, qui acceptat oblatum, sponte atque dolose fraudatur & decipitur. Et minor videtur culpa, neque ulla fraus intercedit, nec onus impossibile assumitur, si oblatum aperte recusetur.

Ex tit. de vita & honest. clericorum Cap. V. *A tabernarum frequentatione, ebrietate, comestationibus, & suspecta cum mulieribus conversatione & cohabitatione omnino Clerici abstinere, neque prædica ad vesperarum horas protrahant, neque choreas ducant, aut per plateas vel domos nocte & interdiu larvati incendant: & si per quemquam contrarium factum fuerit, privatione distributionum & fructuum sui officii seu beneficii per mensem puniantur; & crescente contumacia crescat similiter & pena.*

4. Ex tit. de Usuris: *Quoniam usura jure divino & canonico omnibus Christianis sub pena peccati mortalis interdicitur, neque faciendæ sunt mala, ut evitentur bona; Synodus statuit & ordinat, ne quis tutor aut curator sub prætextu augmentandi patrimonii pupillorum, aut sub eorum cautela existentium, pecunias illorum sub certo lucro singulis annis ultra sortem recipiant, mutuo dent, reverentia facultate repetenda sortis, quando ad majorem ætatem pervenerint, aut matrimonium contraxerint, aut alias ad illorum voluntatem & arbitrium: declarando hujusmodi contractus usurarios, & contra ut præmittitur mutuantes tamquam usurarios, ad penas juris procedendum.*

Hæc sententia Sanctorum Patrum auctoritate confirmatur: Augustini in Psal. 36. vers. Tota die. Hieronym. in Ezechielem lib. 6. ad cap. 18. Ambrosii in Tobiam cap. 14. Concilii Agathensis can. 8. quorum testimonia, & verba colligit Gratianus, 14. qu. 3. per totam; quorum unanimes sensus est, damnabilem esse usuram, ubi amplius requiritur, quam datur; ver. grat. si dederis folios decem, & amplius quaesieris: vel dederis frumentum modium unum, & super aliquid exegeris, quod vocat Hieronymus *superabundantiam*, & Ambrosius *emolumentum supra mutuatam sortem*. His adfusi possunt eloquentissimi sermones Basilii Magni, ejusque fratris Gregorii Nysseni adversus divites avaros & fœneratores. Præterea Chryostomi homil. 38. in Matth. cap. 12. cujus hic verba subijcio: *Super omnes* (inquit) *mercatores plus est maledictus fœnerator: quia mercator dat rem, ut jam illam non repetat; iste autem postquam fœneravit, & suam iterum repetit, & aliena tollit cum suis. Adhuc dicit aliquis, qui agrum locat, ut agrariam recipiat, aut domum,*

nam, ut pensiones recipiat, num est similis ei, qui pecuniam dat ad usuram? Absit; primum quidem quis pecuniam non ad aliquem usum inventa est sic ager, vel domus, sed ad pretium emendi vel vendendi. Secundo, quoniam qui agrum habet, arat eum, & fructum accipit ex eo. Similiter & qui domum habet, usum habitationis capit ex ea. Ideo qui locat agrum vel domum, usum dare videtur, & pro eo usu pecuniam accipere, & quodammodo quasi commutatur videtur lucrum cum æquali estimationis lucro. Pecuniam autem si repositam in sacculo habeas & teneas apud te, nullum usum ex ea capis. His accedit Lactantii Firmiani de fœnore elegans sententia. Is enim lib. de vero cultu, cap. 18. *Pecunia* (inquit) *si quam Dei cultor crediderit, non accipiat usuram: & ut beneficium sit incolume, quod succurrat necessitati, & abstineat se proptus alieno. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus, quem oportet alias ne proprio quidem parere, ut bonum faciat. Plus autem accipere quam dederit, injustum est; quod qui faciat, infidiat quodammodo, ut ex alterius necessitate predetur. At justus nunquam præmittet, quo minus aliquid misericorditer faciat, nec iniquabit se ejusmodi quaestu, sed efficiet, ut sine ullo suo damno id ipsum, quod commodat, inter bona opera numeretur.*

## CONCILIIUM ROTHOMAGENSE

Anno Domini 1581.

1. Præfedit huic Concilio serenissimus & legitimus stirpis regie Princeps Carolus Borbonius, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, tituli sancti Chrylogoni, Rothomagensis Archiepiscopus, Primas Neustrie seu Normanniæ. Quæ Primatis dignitas quia ipso in limine facessere negotium potest, dilucidanda est. Vir præstantissimæ scientiæ Petrus de Marca Parisiensis Archiepiscopus dissertationem edidit amplissimam de Primatu Lugdunensi, aliique Primatibus, que inserta legitur in Labbeana Conciliorum compilatione post Concilium sub Urbano Papa secundo Claromontanum. In plerisque per Occidentem Ecclesiis Romani Pontifices quibusdam certis Episcopatibus ad amplificandam illorum dignitatem suas vices affixerunt, ut potestate ac jurisdictione plurium Ecclesiarum provinciarum præessent, ac plures sub se constitutos haberent Archiepiscopos, quemadmodum Archiepiscopi seu provinciarum Metropolitanæ pluribus eminebant Suffraganeis, seu comprovincialibus Episcopis. Atque ita Primates intermedia fungebantur jurisdictione inter Romanum Pontificem, cujus vices gerebant, & sibi subiectos Archiepiscopos, quemadmodum in Orientalibus Ecclesiis Exarchæ, quorum sit in Chalcedonenis Synodi canonibus mentio, intermedii erant inter Patriarchas & provinciarum Metropolitanos.

2. Patriarcharum porro atque Primatum qualis esset ordinaria in subditos sibi Archiepiscopos potestas, definit Nicolaus Romanus Pontifex ejus nominis primus, in sua ad Rodulphum Bituricensem Primate epistola, cujus fragmentum Gratianus contexit cap. conquestus, 9. qu. 3. his verbis: *Conquestus est Apostolus nostro frater noster Sigebodus Archiepiscopus Narbonensis, quod Clericos suos eo invito ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad Ecclesiam suam pertinentibus, eo inconsulto, quasi jure Patriarchatus tui disponas; cum hoc neque antiquitas (cui Patres sanxerunt reverentiam) habeat, & auctoritas sacrorum Canonum penitus interdicit: nisi forte pro causis, que apud se terminari non possunt, ad te quasi ad Patriarcham suum provocaverint: vel si Episcopus suus decesserit, res Ecclesiæ sue iudicio tuo dispensare voluerint. Primates enim vel Patriarchas nihil privilegii habere præ ceteris Episcopis, nisi quantum sacri Canonis concedunt, & prisca consuetudo illis antiquitus contulit, definitum: ita ut secundum Nicænas regulas, sua privilegia serventur Ecclesiis; præterquam si Apostolica Sedes aliquam Ecclesiam, vel ipsius Rectorem quolibet speciali privilegio decreverit honorare.*

3. Sane magnum intercedit discrimen inter Africanarum quondam Ecclesiarum, & alios Christiani Orbis Primates. Cujuslibet enim Africanæ Provincia Primas ille Episcopus esse solebat, qui antiquitate propriæ ordinationis reliquis ejusdem provinciæ antecessat Episcopis; huic enim primus debebatur honoris gradus & confessus, ad hunc ab ceterorum Episcoporum iudicis devolvebatur appellatio, solus provinciale Synodos indicabat, iisque præsedebat; ut innumeris Africanorum Conciliorum, & Optati Milevitani, necnon Augustini, atque Gregorii primi, & Leonis noni testimoniis comprobatur. Solus quidem post Romanum Pontificem Carthaginensis Episcopus Primatis perpetui jure omnibus

Africa Antiquibus longe præminabat, relique vero Africanæ Primatiæ singulis provinciis limitata nullis erant Ecclesiis affixæ, sed solis antiquiorum Præsulum personis. Sex vero censebantur Africanarum Ecclesiarum provinciæ, scilicet duæ Mauritanie, Cæsariensis & Tingitana, duæ Numidia, itemque Bizacena, & Tripolitana. Carthago vero erat comprehensa in ea Numidia parte, que aliter dicebatur Africa proconularis. Ad Byzacenam autem provinciam pertinebat Adrumetum. Ceterum sub Imperio Constantini Magni, Tingitana provincia jam pridem ad Hispaniæ præfecturam pertinebat, Sitisensis autem provincia posteriori seculo direpta est a Numidia provincia, ad efformandam novam in Mauritania provinciam, cui nomen Sitisensis fuit additum, eique demum ut & olim aliis Africanis provinciis seorsim attributa Primatiæ jura. Anno enim 402. initum fuit Milevitanum Concilium, cui, ut ejus acta docent, Nicetius interfuit Episcopus primæ sedis Mauritaniæ Sitisensis: cui pariter interfuit Xanthippus primæ Sedis Numidiæ Episcopus Tagastensis decessit, quam illi moverat de prima Numidiæ sede Victorinus Numidiæ Præsul. Hoc idem convincitur per epist. 217. Divi Augustini Hipponis Regii urbis Numidiæ Episcopus ad Victorinum Episcopum: *Legi* (inquit) *in eadem tractoria etiam ad Mauritaniæ esse scriptum, quas Provincias scimus suos nove habere Primates.* Vox illa nove refertur ad Mauritaniæ Sitisensem. Alterius enim Mauritaniæ provinciæ, nimirum Cæsariensis, constabat ab antiquo proprio extitisse Primatem. Ibidemque addit Augustinus: *Quod si & eis ad Numidiam convocandum esset Concilium, oportuit utique, ut aliquorum Maurorum Episcoporum, qui illic priores sunt, nomina in tractoria ponerentur.* Monet deinde Victorinum, ut ante omne questionem de ordine Primatus cum Xanthippo Tagastensi, nempe quisnam ordinatione prior esset, collegarum arbitrio dirimat.

4. In Galliis Ecclesia ista Rothomagensis, etiam si non pluribus provinciis, sed uni tantum præfuerit, Primatiæ tamen titulo fuit nobilitata, quamvis re ipsa nihil amplius dignitatis possideret ab aliis Metropolitanis Ecclesiis, quemadmodum Primatiæ Africanæ, quarum tamen jurisdictione ultra propriam Provinciam minime progrediebatur, sola excepta Carthaginensi, que auctoritate supra quascunque Africanas Ecclesias & Provincias præfulgebat. Perhibet Ordericus Vitalis anno 1135. Hugonem Rothomagensem Archiepiscopum summopere Romano Pontifici adjumento fuisse, ideoque ab eodem honoratum fuisse Primatu super multos Pontifices. Veruntamen Primatus ille nihil amplius complectitur quam Metropolitanam jura in Suffraganeas suæ Provincie Ecclesias. Hodieque Rothomagensis Antistes appellatur Neustrie seu Normanniæ Primas, tametsi Gregorius Papa VII. Lugdunensem Episcopum quatuor Gallicanarum Provinciarum, scilicet Rothomagensis, Senonensis, Turonensis, ac propriæ Lugdunensis Primatem constituerit lib. 6. epist. 34. ad Gebuinum Lugdunensem Episcopum: *Confirmamus Primatum super quatuor Provincias Lugdunensis Ecclesiæ tuæ, & per eam tibi tuisque successoribus.* Id Gregorii decretum haud multo post roboravit Urbanus Papa secundus in Concilio Claromontano anni 1095. Ceterum Turonensi his decretis obtemperante, Senonensis & Rothomagensis hujus subjectionis jugum a proprii cervicibus excusserunt.

5. Ex tit. de cultu divino in genere, art. 6. *Ad hæc festorum profanationes mundandas, decernimus, nundinas omnes & negotiationes a quibuscunque festis in alios dies rejici: Dominos vero locorum, & procuratores, & actores, & iudices eorum excommunicari, si Dei mandatis & Ecclesiæ de observatione festorum parere noluerint, & alios dies ad suas nundinas & mercatus deligere.*

His consonat istud Caroli Magni Capitulum de Mercatoribus: *Ut in diebus Dominicis non agantur, sed in diebus, quibus homines ad opus dominorum suorum debent operari.* Et Synodus Romana sub Eugenio Papa II. cap. 30. *Ut die Dominico nullus audeat operationes mercatorumque peragere, præterquam in cibariis rebus.* Item Concilium Grateleanum nationale Anglicanum ab Athelstano Anglorum Rege convocatum anno 628. cap. 6. *Die autem Dominico nemo mercaturam facito: id quod si quis egerit, & ipsa mercede & præterea triginta solidis mulctator.* Denique in Concilio Coloniensi anni 1452. cui præfedit Legatus a latere Nicolaus Cusanus Cardinalis sub Nicolao Papa V. *Item ut singuli Diocessani provideant in suis Diocesis, ne de cetero diebus Dominicis & Festivis ad honorem Dei inditis, mercatus rerum vendibilium, que ad usum quotidiani victus necessaria non sunt, quomodolibet fiat, in casibus permittis a jure, & præsertim juxta determinationem S. Thome de Aquino.*